

videntur.¹⁾ Item: *Panis dictus, quod cum cibo apponatur, vel quod omne animal eum appetat; πάν enim graece omne dicitur.*²⁾ Item: *Carnes dictae sunt, quia carae sunt, sive a creando; unde et a graecis χρέας vocatur.*³⁾ Item: *Caseus vocatur, quod careat sero quasi careum; nam serum ei omne deducitur, ut ponderibus arguatur.*⁴⁾ Item: *Quadrupedia vocata, quia quatuor pedibus gradiuntur, quae dum similia sint pecoribus, tamen sub cura humana non sunt, ut cervi, onagri, damae et cet. sed neque bestiae sunt, ut leones, neque iumenta, ut usus hominum juvare possint.*⁵⁾ Item: *Coena vocatur a communione vescentium; coenon (χοινόν) quippe graeci commune diciunt, unde et communicantes, quod communiter, i. e. pariter conveniant. Apud veteres enim soliti erant in propatulo vesci et communiter epulari, ne singularitas luxuriam gigneret. Est autem coena vespertinus cibus, quam vespertinam antiqui dicebant; in usu enim non erant prandia.*⁶⁾ *Cibus dictus est, quia capitur ore, sicut esca, quia eam os capit.*⁷⁾ Item: *Debilis dicitur, quod per bilem factus sit fragilis; bilis enim humor est afficiens corpus.*⁸⁾

Cap. XXXX.

DE MENSURA POTUS.

Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius sic, alius vero sic. Nunc videndum est, quid est, quod S. Benedictus dicit *Unusquisque proprium donum habet ex Deo.* Quomodo proprium est quomodo ex Deo? Si enim proprium est, quomodo est ex Deo? et si ex Deo est, quomodo proprium est? Proprium vero est per susceptionem, ex Deo est per dationem; proprium est, quia accepisti, ex

¹⁾ Etymol. lib. 17. c. 4, n. 1. 2.

²⁾ Etymol. lib. 20. c. 2. n. 15.

³⁾ Etymol. lib. 20. c. 2. n. 20.

⁴⁾ Etymol. lib. 20. c. 2. n. 33.

⁵⁾ Etymol. lib. 12. c. 4. n. 4.

⁶⁾ Etymol. lib. 20. c. 2. n. 14.

⁷⁾ Etymol. lib. 20. c. 2. n. 1.

⁸⁾ Etymol. lib. 10. n. 71.